

aliis, sed idem plane significantibus, verbis, Ephes. I, 16. *ὅτι πάν-
οιμα εὐχαριστῶν μυσίαν ποιεῖμεν*, quoties in precibus meis ve-
stri recordor, non desino gratias agere pro vobis. Nec tantum à
DEO impetrare se Philemoni varia gratiæ dona proficetur, sed
simul gratias DEO referte, propter ea, quæ recte & ex virtute fa-
ceret Philemon, ut ait Theodoretus, & quod Philemon firmus es-
set in fide & bonis Operibus insisteret, ut ait Ambrosius. Quod
novum quasi incitamentum est, quo Philemoni, laudes quippe,
ipsius coram DEI solio enarrans, blanditur, ut fortius, quæ rogat,
persuadeat.

§. V. vers. 5. Ad hanc pro Te fundendam orationem,
commovet me publica de vita tua Christiana, non ficta à te,
sed vere solideque ad normam verbi divini instituta, fama. Au-
diens quippe de charitate & fide, quarum hanc habes ad Domi-
num Jesum, illam vero in omnes, fidei ejusdem participes, Sanctos;
quæ virtutes nisi maximæ in Te & excellentissimæ essent, ex tanto
locorum intervallo ad nos non nunciarentur.

Cur charitatem fidei præponat Apostolus, diversis studiis
inter interpretes disceptatur. Alphonsus Salmeron: *Præcedit
Charitas fidem non tempore, sed dignitate, & quæ vel ipsam fidem
nostram gratam facit.* Benedictus Justinianus: *Merito chari-
tatem primo loco nominat, quia illa est virtutum omnium Parens,
quæ una si absit, cætera omnia frustra comparantur, si adsit, nihil
est, quod magnopere requiras.* Quo dicto in longam charitatis
commendationem digreditur. Sed opponamus his Societatis
IESU Theologis Theologum Duacenum, Guilielmum Estium,
ad hunc versam ita scribentem: *Subnectendo fidem charitati
significat, se loqui non de quacunque charitate, sed de ea, cu-
jus opera ex fide procedant, sine qua nequeunt esse DEO acce-
pta.* Cum Salmeron dixisset, charitatem fidem nostram face-
re gratam, id invertit Estius, dicitque, charitatem à fide DEO
reddi gratam, probatque ex Apostoli dicto; *Sine fide impossi-
bile est placere DEO.* Cum dixisset Justinianus, charitatem esse
omnium virtutum parentem, contrarium asserit Estius, dicit-
que, *Opera ex fide potius procedere; Quæ in re Apostolum
sequitur,*

C

sequitur,